ANTITORTOBELLARMINVS,

Siue

Refutatio calumniarum, mendaciorum, et Imposturarum Laico-Cardinalis BELLARMINI, contra iura omnium Regum, et sinceram, illibatamque famam, Serenissimi, Potentissimi, piissimique Principis, IACOBI, Dei gratia, magnæ Britanniæ, Franciæ, et Hiberniæ Regis, Fidei Catholicæ antiquæ defensoris, et propugnatoris:

per

IOANNEM GORDONIVM

Scoto-Britannum, Theol. Doctorem, et Decanum Ecclesiæ Cathedralis Sarisburiensis in Anglo-Britannia.

IN TORTO-BELLARMINVM

Dogmata torta prius torsisti nomine torti,
Nomine quæ proprio nunc malè torta vomis:
Torto-Bellarmini ergo tibi nomina sume;
Danda etenim *Tortis* Nomina torta strophis:
Vt tibi pro recto tortum; indirecta potestas
Sic papæ in Reges, fictio torta tua est.

Londini. 1610.

ANTITORTOBEL-
LARMINVS.

siue

Refutatio calumniarum, [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
mi, potentissimique Principis IACOBI, Dei gratia,
magnæ Britanniæ, Franciæ, et Hiberniæ Re-
gis, Fidei Catholicæ [illegible] defensoris,
et propugnatoris.

per

IOANNEM GORDONIVM
[illegible]
[illegible]
[illegible]

In Tortum-Bellarminum

[illegible]
[illegible] quæ proprio [illegible] vera venias
Torto-Bellarmine [illegible] tibi nomen [illegible];
Dando etenim Tortis [illegible] contra [illegible]
Vt tibi pro recto [illegible] potestas
Sic papæ in Reges, [illegible] est.

Londini, 1610.

Epistola Dedicatoria:

AD

Serenissimum, potentissimum, piissimumque Principem,
IACOBVM *Dei gratia, Magnæ Britanniæ,*
Franciæ, et Hiberniæ
Regem, &c.

Rex qui tergemini fulges diademate regni;
Stirpem animis, vincis qui pietate decus:
Ille opifex rerum, regum tutela, decusque;
Regibus impertit nomina sancta sua:
Vt discant reges imitari nomina factis,
Esse Deo *similes moribus eximiis.*
Non caret hoste Deus; *tenebris qui præsidet Orci*
Ille Deo *Satanas nomine regque cluit:*
Ille suos totum Momos *emittit in orbem*
Vt linguis lanient quos amat ipse Deus.
Tu Constantini *regis pro more Britanni,*
Orbi edixisti quæ tua vera fides:
Cardineus Momus *fidei hæc documenta perennis*
Illudens, in te tetra venena vomit.
Vtque Dei *Satan est, sic* Momus *imaginis hostis,*
Hoc opus ille tuum rodit, vt ante Dei.
Nocte satus Momus, *tenebris hic natus Auerni,*
Hic tenebris sepelit dogmata clara Dei.
Accipe grati animi tenuis modulamina musæ,
In dirum Momum *tela parata tuum.*

EPISTOLA DEDICATORIA.

Sint tibi grata precor musæ conamina nostræ,
Rebus in eximijs si voluisse satis.
Deficiunt vires celsa ad molimina nostræ,
Iusta dabit vires, at tua causa mihi.
Macte animis Rex magne piis, Babylone creatum
Herculeâ monstrum perge domare manu:
Is tuus est hostis, qui magni numinis hostis,
Causa tua est causæ consociata Dei.
Viue, vale, et semper sis te fælicior ipso,
Sisq́; tuis fælix prosperiorq́; tibi.

Serenissimæ Maiestatis tuæ

deuotissimus capellanus

IOANNES GORDONIVS

Scoto-Britannus.

In anagrammatiſmum Roberti Bellarmini, *qui* funereo Cardinalatus titulo inflatus *ſacræ Regiæ Maieſtati ſe adæquat.*

Nomen.

ROBERTVS BELLARMINVS.

Anagrammatiſmus.

Errorum tabens bullis.

ERrorum tabens bullis tu nomine, ſic re
  Bullatis nugis dogmata plena ſeris;
Dum Papæ bullis hominum corda inſcia ludis,
  Et leuibus Bullis quæ leuiora, doces;
Cur titulo faſtu bullans à Cardine ſumpto
  Iactas te Diis Regibus eſſe Parem?
Quid veſpillonis titulum cui cura ſepulchri,
  Inſtar Luciferi celſa per aſtra locas?
Veſpillo quantum magnis eſt Regibus impar,
  Inferior Rege es nomine, mente, gradu.
Cardineis manſit funeſti nominis omen,
  Funera multiplicant dum fera bella cient:
Bellarmine alios vt vincis nomine diro,
  Sic aliis plures ad ſua buſta trahis.
Fatum verte Deus, Veſpillo fiat vt ante
  Terram ſollicitans, regna quieta ſinat.

Polyd. Virg. de inuent. rerum. lib. 4. cap. 9. Zabarellam citat qui Marcellum Papam ait, conſtituiſſe Cardinales 15. vt mortuos ſepelirent et infantes baptizarent.

 ANTI-

ANTITORTOBEL-
LARMINVS.

Bellarmine, minas, bella, armaq́; Martia pone,
Et *Christi* discas subdere colla iugo.
Ne iuramentum fidei iustumq́;, piumq́;,
Ambiguis ludas artibus atq́; dolis.
Assimilas illud *Iuliani* fraudibus amens?
Inter se hæc pugnant, vt *Deus*, atque *Satan*.
Falleret vt falsæ (A) *Iulianus* imagine technæ
Christicolas veros, militiæq́; duces:
In labaro pingi cum regis imagine fecit
Idola, et falsi numina vana Dei:
Militibus tunc lex, simulacrum vt regis adorent,
Mos erat à priscis hic repetitus auis:
Fraus erat, vt coleret cum regis imagine miles
Idoli imprudens addita signa dolo:
Sic iuramenti ciuilis tegmine regem
Papicolas ciues ludificare doces,
Tollere paparum ciuili et nomine iura;
Audes quæ celso dicere missa Polo;
Iurare haud *Papas* Reges deponere posse,
Publica vel fidei soluere vincla sacræ:

A. Bellar *epist. ad* Blackwel. *Archipresbyterum Anglum, fraudulentam* Iuliani *Apostatæ picturam describit his verbis, Scribit* S. Gregor. Nazian. *in prima oratione in* Iulianum *imperatorem, illum vt simplicibus Christianis imponeret, in imaginibus imperatorijs, quas Romani ciuili quodam genere honoris pro more adorabant, imagines Deorum falsorũ admiscuisse, vt nemo poßet imperatoris imaginem adorare, quin simul Deorum simulachris cultũ adhiberet. Hinc nimirũ fiebat, vt plurimi deciperentur, &, si qui fortè fraudem subodorati imperatoris imaginem venerari recusarent, ij grauissimè punirentur, vt qui Cæsarem in sua imagine contemsissent. Tale aliquid in iuramẽto vobis oblato mibi videre videor, quod ea fraude compositũ est, vt nemo possit proditionem in regem detestari, ciuilemq́; subiectionẽ profiteri, quin primatũ sedis Apostolicæ perfidè abnegare cogatur. Idem in respõsione sub nomine* Torti, *pag.* 119. *primæ edit. Scribit de re eadẽ in hunc modũ, Imò verò in hoc ipso maxima similitudo est. Nã* Iulianus, *voluit quidẽ Christianos ad idololatriã pertrahere, sed occultè, & sub colore ciuilis adorationis: imago enim imperatoris sine crimine a Christianis adorabatur, qui sciebant, imagini imperatoris cultũ ciuilẽ exhiberi, vt ipsi imperatori exhibebatur. Sed* Iulianus *imaginẽ suam ita pingi iusserat, vt in tabula, siue linteo,* Iouis *quoq́;* Imperatorẽ *coronantis imago cerneretur; vt qui imaginẽ Imperatoris adorabat, simul* Iouis *imaginẽ adoraret. Et quoniã* Ioui, *qui* Deus *á gentibus credebatur, et eius imagini, non ciuilis cultus sed Diuinus exhiberi solebat, hac fraude* Iulianus *Christianos sub colore ciuilis honoris imperatori debiti, ad cultũ diuinũ imagini* Iouis *exhibendum, id est, ad idololatriã patrãdam, et Vero* Deo *cultũ denegandũ adducebat. Atq́; hoc est omninò, quod rex* Anglorum *imitatus est, proposuit enim iuramentũ, quo sub colore ciuilis obedientiæ in temporalibus regi debitæ, eidem regi obedientia sacra, vt primati in spiritualibus præstaretur, et eadem obedientia vero ecclesiæ totius primati denegaretur, vt supra satis apertè demonstratũ est.* B *Calumniæ, quam*

Græ-

Hoc vt grande nefas ipso discrimine vitæ
Papicolis suades non tolerare suæ:
Sic tu lethiferis imitatus nomina technis,
Papicolas miseros ad fera bella cies.
Hæc tua te nutrix docuit figmenta *Megæra*,
Inuidiæ stimulis sueta nocere pijs,
Quæq; viros mordet scelerosa calumnia puros,
Peruasit mentem vipera dira tuam.
Hæc (*B*) viua forma proprijsque coloribus olim
Fertur *Apellæâ* picta fuisse manu.
Pulchra huic est facies; irarum at concita flãmis
Et rabie bullans, exitiosa fremit;
Læua facem præfert, iuuenem sed fixa capillis
Dextra reluctantem sub juga dura trahit;
At iuuenis dextram tendens ad cœlica templa
Vt læso auxilium sit *Deus* ipse petit;
Hancq; præit liuor squalenti pallidus ore;
Sunt comites, fraudes, mortis et insidiæ:
Tempore si nostro fieres rediuiuus *Apelles*,
Paparumque foret curia nota tibi,
Apta tuis tabulis Romana calumnia pictis
Esset materies ingenioq; tuo,
Gestaret

ei διαβολὴν *nominãt, et impudentiæ, aras Athenienses consecrasse, testis est* Theophrastus *apud* Diogenem; *ita verò* Apellem *aliquando effinxisse Calũniã, testis est* Lucianus *In eo qui inscribitur,* De non calumniæ temerè credendo. *Cum enim* Antiphilus Apellis *quidã æmulus, apud* Ptolemæum Apellem *esset calumniatus, quòd cum* Theodota *consensisset, qui à rege rebellionem fecerat, et à quodã coniurationis cõscio, qui capitis pæna tenebatur, regi innotuisset,* Apellem *omnino facinoris ignarum, & iniquè illum insimulari: tũ* Ptolomæus *posito furore, sententiam mutauit:* Apellem *talentis centũ donauit, eiq; in seruitutẽ calumniatorem* Antiphilum *addixit. Tunc* Apelles *periculi memor, tali pictura Calumniam vltus est. In dextra quidem sedet vir permagnas habens aures, quales ferme* Midæ *feruntur: manum longè ille protendit accedenti Calumniæ: circum ipsum verò sunt mulieres duæ,* ἄγνοια, *scilicet, &* ὑπόληψις: *hoc est,* Ignorantia *et* Suspicio. *Ex aduerso Calumnia,* διαβολή; *videlicet, mulier ornata et pulchra, sed aspectu ardens, et in iram et rabiem concita: læua facem accensam præferens, dextra adolescentem quendem per capillos trahere videbatur, qui manus ãbas ad cælũ tẽdebat, superosq; obtestabatur: præcedebat vir pallidus, impurus, acutè intuens; his propémodũ similis qui longiori morbo sunt confecti. Hunc* φθόνον *esse, hoc est,* Inuidiam, *vel* Liuorem *facilè cognoscas coniectura. Ponè duæ aliæ erãt mulieres,* Calumniam *dirigentes, & adorãtes: altera quidẽ* ἐπιβουλή, *hoc est* Insidia: *altera verò* ἀπάτη, *id est,* Deceptio, *vel* Fallacia, *seu* Fraus: *à tergo sequebatur* Pænitentia, *hoc est,* μετάνοια, *pullas, lacerasq; vestes induta, quæ retrò caput inflectens, flens ac lugens, pudore venientem* Veritatem *excipere videbatur. Hac igitur pictura* Apelles *pictor Ephesius, eleganter suum est vltus periculum, vt* Lucianus *idem est pluribus executus.*

Gestaret capiti diadema Calumnia triplex,
Liuori petasus Cardineusque foret;
Per crines iuuenis quem sæua Calumnia tractum
Insidijs vexat fraudibus atque dolis,
Vera est relligio: quam papæ, Cardineique,
Vi raptant, torquent, dilaniantque strophis.
At tabulis annis haud picta calumnia nostris;
Imo nunc hominum pectore clausa furit:
Bellarmine tuis in scriptis castra locauit,
Sub specie veri fallere docta pios:
Toxica torquebat *Torti* sub nomine digno
Clementem in Regem dira venena prius,
Dum ficto regem sub *Torti* nomine læsit,
Pallebat vultus, squallida vestis erat;
Pallentem rubea nunc mutans veste colorem,
Cardineo petaso facta superba tumet:
Apta illi fuerant reuera nomina *Torti*,
Quæ tortis homines fallere sueta tricis.
Serpentis torti quondam fallacia linguæ,
Primum hominem fecit mortis inire viam;
Torta idem responsa canens ad *Apollinis* aras,
Loxius est dictus nomina torta ferens:
Bellarmine tibi nomen bene conuenit illud,
Mutare haud debes nomina sumpta prius;
Tortiloquo *Torti* nam nomine toxica torquens,
Loxius es verè, *Tortus* vt ille *Draco*;
Teque tuus *Tortus* sinuosâ fraude magister,
In regem docuit scribere torta pium:
Ergo iterum *Torti* tibi nomina sume priora,
Qui pro directis dogmata torta seris.

Hæc Iconographia eiusq; significatio ad iuuentutis mores erudiendos perutilis est, ideoq; illam hic adscribere operæpretiũ duxi. Pa*pæ verò qui tot* Sanctas *consecrarunt, illisq; tẽpla* Romæ *dedicarunt, vnde per indulgentias, peregrinationes, et oblationes, immensũ lucrũ nacti sunt, debent (nisi ingrati esse voluerint) templum Calumniæ et Impudentiæ dicare; ex qua immensæ diuitiæ illis accreuerunt, Cardinalemq;* Bellarminum *Archipresbyterum illis constituere, qui tã impudenter tot Calumnijs* Paparum *præstigias obtegit, et præcipuè ob hanc malitiosam et veteratoriam comparationem pijssimi Reg. Britan. Magnæ cum Impiissimo Apostata* Iuliano.

Quod

Quòd *Iuliano* audes regem assimilare benignum,
  Fictitiis fallis pectora cæca strophis:
Clementem regem sæuo æquiparare tyranno:
  Est agnos mites assimilare lupis:
Dissimiles illis animi, mos, ingeniumque,
  Et factis nulla sunt ratione pares:
Innocuos *Christi* seruos *Iulianus* alastor
  Vexabat sæuâ sub ditione premens:
Papicolis parcit Rex clemens proditionis
  Damnatis, quamuis debita pæna necis.
Subiecti regem taciturno murmure culpant,
  Hosti quòd mitis creditur esse nimis,
Filaque quod vitæ qui quærunt scindere regis,
  Indulgent genio, deliciisque suis.
Facta patent regis patulo spectanda theatro,
  Vera cano, testis plebs mihi tota cluit;
Enecat haud hostes commiscens vina veneno,
  Papæ vt Romani, Cardinlique solent;
Subiecti haud tentat violare fœdera lecti,
  Aut natis Zonam soluere virgineam;
Prædia nullius, nec celsa Palatia quærit,
  Nec bona subiecti diripit arte mala.
Falsò ergo blateras subiectos esse misellos,
  Quos talis regis mitia iura regunt;
Nec *Iesuastri* relligionis nomine quovis
  Plectuntur; regni sed quia dira lues;
Seducuntq; homines, regem, vt patriæq; parentẽ
  Perdant, et patrios proditione lares.
Quantum humili à *Petro* paparum gloria distat,
  Gemmarum et fulgens luce tiara triplex;

Bellarmin. *clementissimum regem cum crudelissimo* Iuliano *impiè comparat respons. pag.* 117. *primæ editionis his verbis. At nos suprà non semel ostendimus, quemadmodũ* Iulianus *Christianos vexabat religionis Christianæ causa, sic etiam regem* Iacobum *mulctis pecuniariis, carceribus, exiliis, extremo supplicio Catholicos vexare, quòd religionem catholicam nolint deserere, et hoc ipsum iuramentum eò tendere, vt fides catholica de potestate summi pontificis abnegaretur.*

Sic *Rex* a *Iuliani* differt more profano,
Ingenio, et verâ cum pietate fide:
At P*apæ* ſuperant *Herodem* cum *Iuliano*,
Vindictâ, innocui ſanguinis atque ſiti,
Sequana tu teſtis ſanctorum ſanguine ſpumans,
Papaliq; dolo *Gallia* tota rubens;
Ciuili vaſtata diu *Germania* bello
Experta es, P*apæ* quàm truculenta manus;
Principe ſub *Maria* flammis exuſta fremebas,
Anglia papali fraude ſubiecta iugo:
Papanos ergò quòd regem tradere ferro
Papanæ ob cultum relligionis ais;
Te vox mendacem populi probat ipſa *Britanni*,
Quæ noſcit regis mite quòd ingenium.
Si tibi reſtat adhuc vel paruula mica pudoris,
Deſine mentiri fronte pudente rubens;
Omnem ſed poſuit quia frons perfricta pudorem,
Ipſa rubet pro te tincta cruore toga;
Cardineos omnes ſuperas immanibus auſis,
Papicolas fallens artibus atq; ſtrophis:
Hinc pro cardineo petaſo diadema triforme
Geſtamen capiti ſpes tibi magna fore,
Fraudibus his Domini quæris ſuccedere regnis
Iurentq; vt reges in tua verba cupis,
Cauſa hæc, cur fidei regis ſacramenta repellis;
Ne tibi ſpe P*apæ* noxia damna ferant:
Illa quòd exemplo *Iuliani* fallere fingis,
Nec veri ſpecies, nec leuis vmbra cluit:
Claudicat hoc ſimile vt diſpar, ſunt namq; tabellæ
Verbis haud vlla cum ratione pares;

Et

Et vox missa semel tenues vanescit in auras,
Pictura ast oculis conspicienda manet:
Picturas cum picturis conferre decorum,
Verba at cum verbis æquiparare decet:
At tua sunt *Christi* verbis contraria verba,
Destruis et *Christi* dogmata vera dolis:
Christus decedens terris ad templa superna,
Seruentur pacis vincula firma iubet,
Ille monet Regi regalia pendere iura,
Atq; *Dei* quæ sunt dentur vt illa *Deo*,
Separat à sanctâ res *Regis* relligione,
Cæsaris esse illas, has docet esse *Dei*.
Numine pro vero coluit ludibria *Cæsar*,
Ille hostis veræ relligionis erat;
Christus ob id suasor Iudæis non fuit, armis
Vt se *Cæsareis* legibus eximerent;
At dat *Cæsaribus* rerum moderamina secli,
Pro se, proq; *Petro* iusta tributa dedit:
Pilato effatur vitæ suprema potestas
Quòd concessa suæ iudiciumq; necis,
Quamuis se Angelicâ potuit legione tueri,
Mortem Romani iudicis ore tulit.
Pontificis veri lex est se subdere regi,
Ciuiliq; eius sub ditione premi;
Bellarmine tuum resonat bella, arma, minasq;,
Nomen, et infausti nominis omen habes:
Lethiferum nomen scriptis imitaris acerbis,
Euertis pacem, *Martis* et arma canis;
Verba tua vt *Christo*, sic sunt pugnantia facta,
Hic pacem suadet, tu fera bella cies:

Pacificæ nomen *Christo* dat succus oliuæ,
Pacifica elegit nomina pacis amans;
Nomine sub *Christi* pessundas dogmata *Christi*,
Pro *Christo* fingis belligerumq; *Deum*,
Quæque *Deo* soli *Regum* sunt subdita sceptra,
Priscorum vt vatum pagina sancta canit,
Hæc tu pontifici subdis sub nomine *Christi*,
Regna petis, *Christus* quæ dare iure negat.
Ipsi etiam *Petro* dictat pugnantia *Papa*,
Qui cathedræ sessor vult tamen esse *Petri*;
Namq; docet *Petrus* Regemq;, Deumq; timendos
Coniungitque *Dei* regis et obsequium;
Submitti Regi quòd sit diuina voluntas,
Expressis verbis admonet ipse *Petrus*:
Tunc *Nero* sacrilegus Rex et Dominus fuit orbis,
Qui *Petri* et *Pauli* sanguine tinxit humum.
Non sunt Pontifices veri, contraria vero
Dogmata pontifici qui malesuada serunt,
Doctrinæ *Christi* quisquis pugnantia dictat.
Ille *Antichristus* nomine, reque cluit:
Tu, Dominusq; tuus, *Christo* pugnantia dicis,
Ergo *Antichristi*, tu, Dominusq; tuus.
Esse sui Christum *Paulus* fundamen ouilis
Comprobat, hoc Papam tu tamen esse doces.
Æquiuoco Serpens *Euam* sermone fefellit,
Cælans quæ verè dixerat ipse *Deus*:
Proque *Dei* dictis falsæ dictamina linguæ
Supponens, hominem traxit ad exitium:
Quæ *Christus* fidei de Petra dixerat ipse,
Hæc tu de *Petro* dicta fuisse doces;

Veteratorium æquiuocum et Cardinale dignum mendacium esse conuincitur, quod *Bellarminus*, vt rudiores et simplices Christianos deludat, pessima fide *bu cepha*, id est hic *Petrus*, pro *hada cepha*, id est hæc *Petra* supponit,

Vt pateat cunctis te fictis fallere verbis,
Serpentisque instar texere voce dolos,
Ex proprijs scriptis nugax, mendaxque probaris,
Atque impostorem te tua techna docet:
Dum te Syriaco iactas sermone peritum
Bellarmine, dolos æquiuocando seris;
Vt *Petrum* monstres *Christi* fundamen ouilis,
Et *Petri* id *Papas* iur is habere loco;
Tu super *hoc cepha* fingis Christum ore loquutum
Fundamen caulæ n idificabo meæ:
Vernac'lo at *Christus* Solymis sermone loquutus;
Separat articulis mascula fæmineis;
Petre (ait) *hic cepha* es, sanctæ fundamina caulæ,
Et super *hac cepha* ponere dico meæ:
Bellarmine strophis sic credula pectora fallis,
Et tecum mergis sub vada nigra Stygis;

vt probet *Petrum* esse ecclesiæ fundamentum, Papasque iure *Petri* esse vniuersales Episcopos: quod vt Christianis omnibus cuiuscunque professionis compertum sit, ipsa *Bellarmini* verba describam ex lib. 1. cap. 10. de summo pontifice. vbi sic ait: prima sententia, ex ipso textu apertè deducitur. Nam illud pronomen, *hanc* cum dicitur, *et super hanc Petram*, demonstrat aliquam *Petram* de qua paulò antè dominus sit loquutus: proximè autem Dominus *Petrum* vocauerat *Petram*; Syriacè enim loquebatur et Syriacâ linguâ *Petrus* dicitur *cephas*, vt habemus Ioan. 1. *Cephas* autem *Petram* significat, vt *Hieronymus* docet, et res certissima est. Nam vbicunque in textu Hebræo est סלע id est *Petra*, in syriaco est *cepha*, quin etiam כאפ Hæbraice, saxum, seu rupem significat, vbi *Hier*. 4. legimus, ascenderant rupes; in Hæbreo est בכפים עלו Dixit ergo Dominus: tu es *cepha*, et *super hoc cepha*: vel latiné, tu es *Petra*, et *super hanc Petram* ædificabo ecclesiam meam. Ex quo sequitur illud, *hanc* non posse referri, nisi ad *Petrum*, qui ex eo loco vocatus est *Petra* &c. Et mox. Cur verò Græcus non verterit σὺ εἶ Πέτρος &c. causa est, quoniam cum apud Græcos, tam πέτρος quàm πέτρα significát lapidem, visum est interpreti commodius homini nomen masculinum quám fæmininum tribuere, Deindè verò, ad explicandum

candam metaphoram, ſecundo loco, non voluit, dicere ἐπὶ τῷ πέτρῳ, quod fuiſſet ambiguum, ſed ἐπὶ τῇ πέτρᾳ, quod nihil aliud, quam ſaxum ſignificat.

Vt verò rudioribus in Syriaca, & Græca Lingua non verſatis oſtendam, ex ipſo Syriaco textu Cardinalem impudentiſſimè mentiri contra ſuam conſcientiam et veritatem illi perſpectam et cognitam, vt qui in linguis antiquis doctus ſit; verba *Christi* loquentis ſuâ vernaculâ linguâ, vt in editione *Widmanſtadii* et in Hiſpanicis Bibliis habent, in medium afferam;

אנת הו באפא ועל הדא באפא

Kipha hada vehel kipha hu anth

Cepham hanc ſuper et cephas hic tu

Vbi *Christus* ſua lingua loquens, vocem *cepha* vt viri nomen ſignificet, deſignat per pronomen *hu* maſculinum, ad tollendam omnem æquiuocationem: et vocem *cepha*, quæ rupem vel lapidem ſignificat, per pronomen *hada* fæmineum exprimit, vt illam diſtinguat à nomine viri *Petri*; nam in Hæbraica et Syriaca lingua, nomina non habent finales terminationes maſculinas et fæmininas, vt Græci et Latini; ſed per articulos et pronomina maſculinum et fæmininum genus diſtingunt; verba ergo *Christi*, vt in vernacula lingua ſua loquutus eſt, rectiſſimè a Græco, interprete verſa ſunt, vbi, vox πέτρος viri nomen eſt, et πέτρα lapidem, rupem, et petram ſignificat confeſſionis et fidei *Petri*, ſuper quam fundaturus erat *Christus* Eccleſiam ſuam, poſt reſurrectionem et aſcenſionem.

Quòd tu ſic audes Chriſti peruertere verba,
Et pro fæmineo ſubdere maſculeum,
Nil mirum; Papis ſolenne eſt Cardineiſq;,
Sic pro fæmineo ſubdere maſculeum.
Eſt tibi præ manibus *Matthæi* pagina Syra,
Nec te verba Dei falſificare pudet,

Gramma-

Gramaticam nosti Syram, pronomina nosti,
Masculea et quæ sunt, quęque quoq; fæminea:
At pro fæmineâ tu voce scienśque volenśq;,
Vt fallas, audes subdere masculeam:
Sic *Iuliano* tu multò es fallacior ipso,
Hic pictâ, at fictâ tu capis arte pios.
Discite Papicolæ, si vobis cura salutis,
Si menti lucis parvula mica subest;
Crimine ab hoc vno, Paparum et Cardineorum
Quam malefida fides, quam malesuada lues,
Cum sit mentiri mentem contra ire putandum,
Mens tua mentiri te satis ipsa docet:
Mirum haud, quod contrà regem mendacia fingis,
Mendax qui es contrà numina celsa Dei:

C

PEtrus Apostolus et reliqui communibus actis,
Præbenda hæreticis vitæ alimenta docent:
Et regis famam verbis non lædere mandant,
Hostis atrox quamuis relligionis erat:
Hæretico regi si sunt alimenta paranda;
Haud licet hunc regno pellere iure suo.
Hæretici regis si famam lædere verbis
Non licet, haud illi demere Regna licet.
Antipetri papæ sunt ergo, vt et Antichristi;
Qui contra Petrum dogmata falsa serunt.

C Duodecim Apostoli in vnum cum *Paulo* congregati libros 8. constitution. Editos per *Turrianum* Iesuitam, tradiderunt *Clementi* Episcopo Romano, discipulo *Petri* Apostoli, qui lib. 7. cap. 30. docent, quomodò episcopi aliiq; Christiani.

se gerere debent erga falsos doctores, qui sunt hæretici; his verbis, Δύνασθε γνῶναι δεξιὰν, καὶ ἀριστερὰν, διακρῖναι ψευδοδιδασκάλους διδασκάλων, ἐλθόντι μὲν τοι τῷ διδασκάλῳ ἐκ ψυχῆς ἐπιχορηγήσατε τὰ δέοντα, τῷ δὲ ψευδοδιδασκάλῳ δώσετε μὲν τὰ πρὸς χρείαν, οὐ παραδέξεσθε δὲ αὐτοῦ τὴν πλάνην, οὔτε μὴν συμπροσεύξεσθαι αὐτῷ ἵνα μὴ συμμιανθῆτε αὐτῷ. id est cognoscere potestis dextram & sinistram, et discernere qui sint falsi doctores, a veris doctoribus, quando verò aduenerit doctor (s. verus) prompto animo exhibete illi omnia quibus opus habet, falso verò doctori date ea quibus indiget, sed ne recipiatis eius errorem neq; orate cum eo, ne contaminemini cum eo.

Idem Apostoli tradiderunt ecclesiæ per eundē *Clementem* Romanum Episcopum canones ecclesiasticos, inter quos canone 85. editionis eiusd. *Turrian. Petrus* reliquiq; Apostoli, omnem obedientiam præstandam regibus ethnicis et persecutoribus mandant; dum illos quauiscunq; iniuria afficere vetant, verba canonis Græci hæc sunt Ὅστις ὑβρίσει βασιλέα, ἢ ἄρχοντα, τιμωρίαν τιννύτω καὶ εἰ μὲν κληρικὸς, καθαιρείσθω, εἰ δὲ λαικὸς, ἀφοριζέσθω. id est, quisquis regem vel principem contumelia affecerit, pænas luat: et si sit quidem clericus, deponatur: si vero Laicus, segregetur.

Apostoli ergò successores suos vsq; ad finem mundi hoc canone instruunt, quomodò se gerere debent Christiani erga reges idololatras et hæreticos; nempe, ius eorum non violare, aut illos iniuria afficere.

Historiæ nos docent, Christum sub imperatore Tyberio passum, cui successere *Caius Caligula, Claudius*, et *Sextus Nero*, qui primus, vt testatur *Tertullianus* in Apologetico, tyrannidem crudelissimam in Christianos exercuit: attamen præcipiunt Apostoli Episcopis, sub pæna vindictæ diuinæ, ne imperatores et reges iniuria afficiant, præuaricatoribus pænam constituunt, si Clerici fuerint, vt deponantur, si verò Laici excommunicentur: Vndè sequitur, *Paulum* 5. Episcopatu deponendum, qui regi *Britanniæ* Magnæ iniuriam infert atrocissimam, subditos eius deterrendo papalibus minis, contra ius diuinum et ecclesiasticum, ne abiurent eius ementitam potestatem deponendi regem.

Hæc verò omnium iniuriarum atrocissima est, ius pretendere Christianæ religionis nomine, deponendi reges, et subditos ab illorum fidelitate et obedientia dissoluendi.

D

D. Hic conuincendus Cardinalis *Bellarminus* impu-

Bellarmine audes qua dicere fronte Neronem
(Si pote) quod licuit trudere Marte throno?

Te

Te *Christi*, et *Petri*, mendacē dogmata monstrant
Sicque impostorem te tua scripta probant.
Christi non solum dictas contraria dictis,
Verùm etiam violas quod docuere patres.

dentissimi mendacii qui contra rei veritatem illi (quum vir doctissimus sit) satis cognitam affirmare audet, licuisse Christianis deponere *Neronem*, *Diocletianum*, et alios imperatores persecutores. Eius verba adscribam ex lib. 5. cap. 7. de Rom. pontifice; quæ ex diametro testimoniis patrum ecclesiæ qui sub persecutoribus vixerunt repugnant.

Quòd (inquit) si Christiani olim non deposuerunt *Neronem* et *Diocletianum*, & *Iulianum* Apostatam, ac *Valentem Arianum*, & similes, id fuit, quia deerant vires temporales Christianis; Nam quòd alioqui iure potuissent id facere, patet ex Apostolo, 1. Cor. 6. vbi iubet constitui nouos iudices à Christianis temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram iudice, Christi persecutore, sicut enim iudices constituere potuerunt, ita et nouos principes, et reges, propter eandem causam, si vires fuissent. Nonne peccati contra spiritum sanctum species est, apertam et cognitam veritatem scienter impugnare? quis dubitat *Bellarmino* satis cognita esse testimonia *Pauli* Apostoli ad *Rom. cap.* 13. vbi de ipso *Nerone*, et Præfectis eius, penes quos tunc erat omnis suprema potestas, ait, πᾶσα ψυχὴ, omnis anima, potestatibus superеminentibus subiecta esto, non est enim potestas nisi à *Deo*, et quæ sunt potestates, sunt à *Deo* ordinatæ: Itaq; quisquis se opponit potestati, *Dei* ordinationi resistit, qui autem resistunt, sibi damnationem auferent.

Ipse autem *Paulus Act.* 25, *ver.* 10. *Cæsarem Neronem* iudicem agnoscit esse inter illum et Sacerdotes *Iudæorum* in causa de ipsa obseruatione religionis, cum *Festus* proconsul *Neronis*, *Paulo* dixisset, vis Hierosolymam descendere, et illic de his iudicari apud me? Dixit autem *Paulus*, ad tribunal *Cæsaris* sto, vbi me oportet iudicari, *Iudæis* nulla in re iniuriam feci, sicut et tu pulchrè nosti, nam si quam iniuriam, ac dignum morte aliquid feci, non recuso

mori: Si verò nihil est (eorum) quorum isti me accusant, nemo potest me illis condonare, *Cæsarem* apello. Tunc *Festus* cum concillio colloquutus, ad *Cæsarem* appellasti, ad *Cæsarem* proficisceris.

Accusatio, *Act. cap. 24. vers. 5.* contra *Paulum* à *Tertul.* eorum oratore proposita his verbis concepta est: Comperimus virum hunc esse pestilentem, et qui moueat seditionem omnibus *Iudæis* per vniuersum orbem, et principem Sectæ Nazaræorum; qui templum quoq; tentauit profanare: quem etiam prehensum volumus secundum legem nostram iudicare, &c.

Vbi manifestum est, controuersiam fuisse de causa ad religionem pertinente, Id quod probat responsio *Pauli, ver. 14.* hoc (inquit *Paulus* ad Præsidem Romanum) tibi confiteor, me secundum viam illam quam hæresim (1. sectam) dicunt, seruire patrio Deo, vt qui credam omnibus quæ in lege et Prophetis scripta sunt, &c.

Si ergo *Paulus* agnoscit *Neronem* debere iudicare inter illum et Pontificem Iudæorum in ipsa causa religionis, qua quæso fronte, qua impudentia, audet omni perfricta fronte, Cardinalis iste affirmare, *Paulũ* iussisse constitui nouos iudices a Christianis temporalium causarum? *Paulus* verò locis citatis, 1. Cor. 6. contrarium omnino præcipit, nec iubet novos iudices constitui, sed hortatur fratres inter quos de re quauis oritur controuersia vt arbitrio fratrum fidelium litem assopiant, & fratribus vt iudicibus arbitrariis decisionem litis inter fideles committant. Quid quæso hoc ad tribunalia imperatorum, et iudices prouinciarum ab imperatoribus constitutos pertinet? *Pauli* ergo clarissima testimonia arguunt *Bellarminum* blasphemi mendacii, qui sanctissimum Apostolum depositionis regum à Deo constitutorum, et criminis læsæ maiestatis authorem facit, quamuis *Paulus* ipsum *Neronem* à Deo constitutum agnoscat, eiusq; authoritati resistentes Dei ordinationi resistere affirmet?

Quomodò verò Christiani qui Apostolorum sæculum sequuti sunt se gesserint erga imperatores qui crudelissimè eos affligebant, quodq; à vindicta abstinebant, quamuis tanta omnium ordinum Christianorum erat multitudo, vt armis imperatores aliosq; ipsorum persecutores facile subigere potuissent, si illud per

religionem

religionem Chriſtianam licuiſſet, teſtatur *Tertullianus* in Apologetico pro Chriſtianis; vbi, iidem (inquit) ſumus imperatoribus qui et vicinis noſtris; malè enim velle, malè facere, malè dicere, malè cogitare de quoquam, ex æquo vetamur; Quòdcunq; non licet in imperatorem, id nec in quenquam, quòd in neminem, eò forſitan magis nec in ipſum, qui per Deum tantus eſt (ſ: imperator à Deo ordinatus): Si inimicos iubemur diligere, quem habebimus odiſſe? item ſi læſi, vicem referre prohibemur, ne de facto pares ſimus, quem poſſumus lædere? Nam de iſto ipſi recognoſcite: Quoties. n. in Chriſtianos deſæuitis, partim animis propriis, partim legibus obſequentes? Quoties etiam præteritis vobis ſuo iure nos inimicum vulgus inuadit lapidibus et incendiis, ipſis Bacchanalium furiis, nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos, auellant, diſſecent, diſtrahant? quid tamen de tam conſpiratis vnquam denotatis, de tam animatis ad mortem, vſq; pro iniuria repenſatis? quando vel vna nox pauculis faculis largitatem vltionis poſſet operari, ſi malum malo diſpungi penes nos liceret. Sed abſit vt aut igni humano vindicetur diuina ſecta, aut doleat pati in quo probatur. Si enim et hoſtes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri et Marcomanni, ipſiq; Parthi, vel quantæcunq; vnius tamen loci, et ſuorum finium gentes, quam totius orbis? externi ſumus, et veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum, ſola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere. Potuimus et inermes, nec rebelles, ſed tantummodò diſcordes, ſolius diuortii inuidia aduerſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet vtiq; dominationem veſtram tot qualiumcunque amiſſio ciuium. Imò etiam et ipſa deſtitutione puniſſet. Proculdubiò expauiſceretis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, et ſtuporem quendam quaſi mortuæ

 vrbis

vrbis quæsissetis, quibus in ea imperassetis. Plures hostes quam ciues vobis remansissent, nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum penè omnium ciuium, penè omnes ciues Christianos habendo. Sed hostes maluistis vocare generis humani potius quam erroris humani. Quamuis verò tanta fuerat illo sæculo Christianorum inter omnes totius orbis gentes potentia, vt se potuerint armata manu contra crudelissimos imperatores et prouinciarum præsides tueri, imperatoremque exauctorare, eiusque loco Christianum imperatorem constituere, illi tamen nihil tale sibi licuisse per Christianam religionem profitebantur, sed quod magis mirandum, pro fælicitate et rerum omnium prosperitate, & salute imperatorũ idololatrarum et persecutorum, in omni solemni conuentu orabant, id quod *Tertullianus* ibidem testatur. Precantes (inquit) sumus semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis et *Cæsaris* vota sunt: Hæc ab alio orare non possum, quàm â quo me scio consequuturum, quoniam et ipse est qui solus præstat, et ego sum cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum solum obseruo, qui propter disciplinam eius occidor, qui ei offero opimam & maiorem hostiam, quam ipse mandauit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de spiritu sancto profectam.

Dionysius etiam *Alexandrinus* Episcopus, qui sub *Valeriano* & *Galieno* imperatoribus vixit, testatur Christianos in rebus ciuilibus obedientiam et fidelitatem imperatoribus Ecclesiæ hostibus præstitisse, nam in Epistola eius quæ extat in Hist. Eccles. *Euseb. lib.* 7. cap. 10. edit. *Christophorsoni*, Pontificii interpretis, respondit *Dionysius Æmiliano* præfecto.

Ἡμεῖς τοίνυν τὸν ἕνα θεὸν καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων, τὸν καὶ τὴν βασιλείαν ἐγχειρίσαντα τοῖς θεοφιλεστάτοις οὐαλεριανῷ καὶ γαλλιηνῷ σεβαστοῖς, τοῦτον καὶ σέβομεν καὶ προσκυνοῦμεν, καὶ τούτῳ διηνεκῶς ὑπὲρ τῆς βασιλείας αὐτῶν ὅπως ἀσάλευτος διαμείνῃ, προσευχόμεθα. Id est.

Nos vnum Deum omnium rerum fabricatorem, qui *Valeriano*, et *Galieno*, Cæsaribus Augustis, viris sanctissimis, imperium largitus est, et colimus et veneramur, hinc etiam sine intermissione pro

eorum

eorum regno, vt ſtabile et firmum maneat, preces adhibemus.

Hi imperatores erant perſecutores eccleſiæ: Chriſtiani tamen orabant Deum pro eorum imperio, vt ἀσάλευτος, *ſtabile et firmum maneret*, ipſiſque imperatoribus honorificum titulum tribuebant, illos enim vocant θεοφιλεστάτους, *Dei amantiſſimos.*

Ex his teſtimoniis huiuſmodi argumentum elicimus,

Chriſtiani ſe debent hodie gerere erga reges hæreticos, vt primis trecentis a *Chriſto* annis antiqua eccleſia ſe geſſit erga imperatores Ethnicos perſecutores: *Chriſtus* enim præcipit, vt qui eccleſiæ dicto audientes non ſunt, vt Ethnici habeantur, *Math.* 18.17.

At *Chriſtiani* omnes tàm Eccleſiaſtici, quàm Senatorii, et militaris ordinis, qui primis trecentis à Chriſto annis vixerunt ſub imperatoribus Ethnicis, et perſecutoribus; illis fidelitatem et obedientiam in rebus ciuilibus et bellicis præſtiterunt, quamuis ipſos vi bellicâ expellere, et Chriſtianum imperatorem ſuprà ſe conſtituere potuiſſent, vt ex ſupra citatis teſtimoniis perſpicuum eſt,

Ergo, non licet noſtro ſæculo imperatores hæreticos vi exauctorare, vt falſò ait *Bellarminus.*

Hæreticos reges tu diro cum *Iuliano*,
Quod licuit blateras trudere iure throno,
Hoc ſi bellorum potuiſſent viribus olim,
Cattholici priſci militiæque duces;
At te mendacem patrum doctrina piorum
Arguit, hiſtoriæ Cæſareæque fides.
Impius hæreticus fuerat *Conſtantius* olim, Vide hiſtoriam
Liberiumq; pium miſit in exilium. *Liberii*
At præſul Romæ, Romanis non fuit author, apud
Reſtituendi illum Marte furente throno, *Theodoretum*
Quamuis Cattholicæ fidei documenta tenebant, *hiſt. eccle.*
Militiæ Romæ cum gregibuſque duces:

Militia ast Romæ tandem duce sub *Iuliano*,
Hæreticum in regem bella cruenta mouet
Ob malè res gestas, non nomine relligionis,
Cattholicam quamuis illa professa fidem,
Militia et Romæ dedit imperium *Iuliano*,
Quum nondum *Christi* cognitus hostis erat;
Euasit voti qui compos, Apostata dirus,
Et *Christi* caulæ noxia damna tulit.
Rebus at in regni, patriæ, et tutamine, serui
Bella gerunt eius sub ditione Dei:
Ast eius seruire Deis, et thura cremare,
Dirisque Idolis basia ferre, negant:
Sic regi cæli seruarunt debita iura,
Oreque quod iussit filius ipse *Dei*.
Nam serui *Christi* cælestis regis amore,
Cæsaribus dant, quæ Cæsaris esse sciunt.
Tu iuramentum fidei dissoluere papas
Posse ais, vt Papæ stet rata relligio.

Sancta

lib.2.cap. 16. et sequentibus. *Constantius*, filius et successor *Constantini* Magni ad Arianismum defecit, Episcopos Catholicos in exilium misit, Arianisq; Episcopatus penè omnes tradidit, crudeliterq; Catholicos persequutus est: Episcopi tamen Catholici, illi in rebus ciuilibus fidelitatem et obedientiam præstiterunt, nec extenderunt potestatem Episcopalem ad imperatorem deponendum, nec subditos eorum ad rebellionem et periurium hæreseos prætextu concitarunt.

Hosius Cordubensis Episcopus Epist. ad *Constan.* inserta tom. 1. *Athanas.* celeberrimus in Concilio Nicæno, iam senio confectus, quem *Athanasius* Abrahamicum senem vocat; reprehendit quidem *Constantium* imperatorem Arianum, quòd persequeretur Episcopos orthodoxos; illi tamen vt à *Deo* constituto omne ius tribuit in rebus ciuilibus: Desine (inquit) quæso, memineris te

morta-

mortalem esse, reformida diem iudicii, serua te in illũ diem purum, μὴ τίθει σεαυτὸν εἰς τὰ ἐκκλησιαστικά, μηδὲ σὺ περὶ τούτων ἡμῖν παρακελεύου, ἀλλὰ μᾶλλον παρ' ἡμῶν τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπίστευσε, καὶ ὥσπερ ὁ τὴν σὴν ἀρχὴν ὑποκλέπτων, ἀντιλέγει τῷ διαταξαμένῳ θεῷ. 1. Ne te immisceas rebus Ecclesiasticis, neque de hisce præcepta des, sed potius ea à nobis disce. Tibi *Deus* imperium commisit: nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodũ qui tuum imperium surripuerit, contradicit Deo qui te ordinauit, ita tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te attrahens, magno crimini obnoxius fias: date (scriptum est) quæ sunt *Cæsaris Cæsari*, neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum et sacrorum potestatem habes imperator.

Ex hoc testimonio *Hosii* sanctissimi Episcopi Catholici perspicuum est, doctrinam catholicam esse, obedire et fidelitatem exhibere regibus hæreticis in rebus ciuilibus: vnde elicitur *Paulum*. 5. et Cardinalem *Bellarminũ* veteratoriè decipere miseros Britannopapadoxos, asserendo repugnare fidei catholicæ et saluti animarũ, iuramentum fidelitatis regi præstare in rebus ciuilibus, et abiurare ementitam potestatem paparum dissoluendi iuramenta subditorum, et deponendi regem a gubernatione ciuili regni auiti: *Hosius* enim secundum doctrinam catholicæ ecclesiæ antiquæ, docet eos qui imperium *Constantii* Hæretici, et destructoris fidei et ecclesiæ Catholicæ inuadere voluerint, *Deo* contradicere, qui illum imperatorem ordinauit, quamuis hostem illum veræ religionis futurum præuiderat; aut ergo se Catholicos esse negent Britannopapadoxi, aut iuramentum fidelitatis illis regia authoritate exhibitum suscipiant necesse est.

Cuncti totius orbis Episcopi Catholici, ad concilia, imperatoris hæretici mandato conueniebant, at eius in fide errori non obtemperabant, imò constanter restiterunt, vt ex Epistola Concilii Ariminensis ad imperatorem *Constantium* Arianum manifestum est, quæ extat in historia ecclesiastica. Et quamuis imperator fidem catholicam oppugnabat, catholicosque persequebatur vt illam abnegarent, concilium tamen omnium Episcoporum catholicorum agnoscit imperium eius esse ab ipso *Deo*, et in omnibus Ecclesiis solenni ritu ipsi Episcopi pro eius prosperitate *Deum* orabant. Vt

Socrat. lib. 2 cap. 29. *Theodor.* hist. lib. 2. cap. 19.

verò quod aſſerimus omnibus pateat, Concilii verba ex ipſa eius Epiſtola ad *Conſtantium* in medium afferemus.

Ἔτι δὲ πρὸς ἅπασι καὶ τοῦτο δεόμεθα, ἵνα μήτε ἐλλείπῃ τι τῶν προϋπαρξάντων, μήτε πλεονάζῃ, ἀλλὰ πάντα ἄρρηκτα διαμείνῃ ἐκ τῆς τοῦ σοῦ πατρὸς εὐσεβείας, καὶ εἰς τὸν νῦν χρόνον διαφυλαττόμενος· μήτε λοιπὸν ἡμᾶς μοχθεῖν, καὶ ἐκτὸς τῶν ἰδίων παροικιῶν ἐπιτρέψειας γενέσθαι· ἀλλ' ἵνα οἱ ἐπίσκοποι σὺν τοῖς ἰδίοις λαοῖς μετ' εἰρήνης εἰς εὐχάς τε καὶ λατρείας σχολὴν ἄγωσιν, ἱκετεύοντες ὑπὲρ τῆς σῆς σωτηρίας καὶ βασιλείας καὶ εἰρήνης, ἣν ἡ θειότης σοι εἰς τὸ διηνεκὲς χαρίσεται. Id eſt, Porrò autem, iſtud præter cætera flagitamus, ne quid veteribus decretis, vel detrahatur, vel adiiciatur omnino: ſed omnia quæ patris tui pietate vſque ad hoc tempus obſeruata fuerunt, rata firmaque permaneant: neque de cætero nobis quicquam de iis rebus faceſſas moleſtiæ, aut à noſtris ipſorum eccleſiis non abeſſe ſinas: ſed Epiſcopi verſentur cum ſuis ipſorum gregibus, vti precibus et *Deo* ſanctè colendo tranquillis animis vacent, orentque ſedulò pro tua ſalute, regno et pace, quam *Deus* tibi benignus ſempiternam largiatur.

Militia aſt Roma tandem duce ſub Iuliano, &c.

Ammianus Marcellinus in hiſtoria *Conſtantii*, narrat exercitum Romanum defeciſſe à *Conſtantio Iuliani* ſuaſu, illumq́ imperatorem ſibi conſtituiſſe, vnde argumentum huiuſmodi elicimus,

Exercitus Chriſtianus defecit à *Conſtantio* imperatore hæretico, non ob hæreſim, ſed ob res malè geſtas, et *Iulianum* quem Chriſtianum putabant imperatorem crearunt.

Ergo, poteſtatem habuit idem exercitus Chriſtianus exauctorandi *Iulianum* ob Apoſtoſiam, ſi Epiſcopi Catholici illis hoc licuiſſe authores fuiſſent.

Ad huius argumenti confirmationem, patrum teſtimonia qui ſub *Iuliano* vixerunt in medium afferimus.

Ambroſius citatus decret. par. 2. cauſ. 11. quæſt. 3. *Iulianus* (inquit) imperator quamuis, eſſet Apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites, quibus cûm dicebat: producite aciem cum defenſione Reipublicæ, obediebant ei, cûm autem diceret, producite arma in Chriſtianos; tunc cognoſcebant imperatorem cæli.

Auguſt.

Augustinus idem testatur in Psal. 124. ***Iulianus*** (ait) extitit infidelis imperator, nonne extitit apostata, iniquus, idolatra ? milites Christiani seruierunt imperatori infideli, vbi veniebatur ad causam Christi non agnoscebant nisi illum qui in cælo erat, quando volebat vt Idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi *Deum*, quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant, distinguebant dominum æternum a domino temporali, et tamen subditi erant propter dominum æternum, etiam domino temporali.

Idem lib. 5. cap. 21. *De ciuitate Dei*, testatur *Iulianum* a *Deo* in imperio constitutum: non ergo licuit Christianis militibus illum exauctorare religionis prætextu, neque Episcopis exercitum ad defectionem concitare.

Non tribuamus (inquit) dandi regni atque imperii potestatem nisi *Deo* vero, qui dat fælicitatem, regnum cælorum solis piis, regnum verò terrenum et piis et impiis, sicut ei placet cui nihil iniusti placet: Ille igitur vnus verus *Deus* qui nec iudicio, nec adiutorio deserit genus humanum, quando voluit, et quantum voluit, Romanis regnum dedit, qui dedit Assyriis vel etiam Persis. &c.

Ipse etiam regnum dedit sine cultu eorum, per quorum cultum se isti (*Romani*) regnasse crediderunt: Sic etiam hominibus, qui *Mario* ipsi *Caio Cæsari*: qui *Augusto*, ipsi et *Neroni*. Qui *Vespasianis* vel patri vel filio suauissimis imperatoribus, ipsi et *Domitiano* crudelissimo, et ne per singulos ire necesse sit, qui *Constantino* Christiano, ipsi apostatæ *Iuliano*, cuius egregiam indolem decepit amore dominandi sacrilega et detestanda curiositas, cuius vanis deditus oraculis erat.

Theodoretus hist. Ecclesiast. lib. 5. cap. 14. narrat *Valentinianum* iuniorem Arianum armatis militibus *Ambrosium* eiicere è templo Mediolanensi tentasse, illumque templum deserere noluisse, seseque martyrio obtulisse, ipse verò *Ambrosius* epistola ad *Marcellinam* sororem fatetur non licuisse illi resistere imperatori vi et armis, Conuenior (inquit) ipse à comitibus et tribunis vt Basilicæ fieret matura traditio, dicentibus imperatorem iure suo vti, eò quòd in potestate eius essent omnia: Respondi, si à me peteret

quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum me non refragaturum, quanquam omnia quæ mea sunt essent pauperum, verum ea quæ diuina, imperatoriæ potestati non esse subiecta. Si patrimonium petitur, inuadite: si corpus, occurram, vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi; Non ego me vallabo cirumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor: Horrebam quippe animo cum armatos ad basilicam ecclesiæ occupandam cognoscerem, ne dum basilicam vindicant, aliqua strages fieret quæ in perniciem vergeret totius ciuitatis: Orabam ne tantæ vrbis vel totius Italiæ busto superuiuerem, detestabar inuidiam fundendi cruoris, offerebam iugulum meum, exigebatur à me vt compescerem populum, referebam in meo iure esse vt non excitarem, in *Dei* manu vt mitigaret.

Papadoxi Britanni conserte hanc catholicorum episcoporum doctrinam cum *Bellarmini* assertione supracitata, vobisque compertum erit, eum veteratoriè vos decipere falso antiquitatis prætextu, vt vos ab obedientia legitimi regis in rebus ciuilibus distrahat; aut ergo catholici nomen deponite, aut catholicorum episcoporum doctrinam sequimini.

Mahometus, qui primus omnium mortalium, ius sibi dissoluendi iuramenta attribuit Alcorani Azoara

Sancta *Deus* statuit fidei sacramenta perennis
Iuramenta ducum militiæque fore,
Subiecti vt regi, reges populisque ligentur,
Mutua sitque illis intemerata fides.
Est iuramentum promissio relligiosa,
Nam testem iurans inuocat ore *Deum*,
Soluere nemo potest quicquid *Deus* ipse ligauit,
Et promissa *Deo* non violanda fides:
Ergo fidem Papis dissoluere nulla potestas,
Hæc regi summo nam data teste *Deo*.
Sic nequeunt Papæ reges depellere regnis,
Dum iuramenti lex benè firma manet.

Seruarunt serui Christi promissa, fidemque,
Regibus, etsi hostes relligionis erant,
Hos quamuis valido potuerunt vincere *Marte*,
Lege *Dei* ast illis hoc licuisse negant,
Hoc docuere patres sancti per sæcula dena,
Paparum quamuis punica facta fides.
At soli Papæ iactant, ferus et *Mahometus*,
Se iuramenti soluere posse fidem.
Ergo successit *Mahometo* Papa scelesto;
Nam parilis socii criminis ambo rei.

76. Hunc imitatus est *Zacharias* papa qui (si *Gregorio* 7. credendum) absoluit Pipinum Francum et proceres Galliæ à iuramento fidelitatis erga regē *Childericum*, quod quotannis solenni ritu reiterare antiqui moris erat, at Gentiles, tam Græci, quàm Romani, iuramentum indissolubile credebant, eò quod pars erat religionis.

Festus dicit, sacramentum est quicquid iure-iurando interposito geritur, Sacramentum verò militare dicebatur, quo milites in verba imperatoris sui iurabant. Antiqui Romani iuramentum, sacramentum vocarunt, eò quòd vt res augusta et sacrosancta nullo vnquam prætextu violanda, et inter Gentiles iurantes manu tenebant aras Deorum suorum, quia iusiurandum religionis partem esse credebant.

Aristoteles philosophiæ Ethnicæ solo lumine præditus, quamuis *Dei* legem ignorabat: iusiurandum tamen rectissimè rhetor. ad *Alexan*. cap. 17. definit. Iusiurandum (inquit) est cum diuina veneratione dictio probationis expers. Sic *Cicero* Offic. 3. Est, (ait) affirmatio religiosa iusiurandum. Secundum legum peritos est assumptio nominis *Dei* ad confirmandum iurantis fidem, aut inuocatio *Dei*, quâ petimus vt sit testis nostræ asseuerationis, et puniat fallentes; Duæ verò sunt iurisiurandi partes, altera inuocatio, vt ipse καρδιογνωστης, testis sit nos vera dicere, altera imprecatio nostri, qua vouemus nos pœnis, et vindictæ diuinæ, si fallamus. Hinc est quod testis inuocabatur *Deus*, vt apud *Virgilium*, Æneid. 12.

Audiat hæc genitor qui fœdera fulmine sancit,
Tango aras, mediosq; ignes, et numina testor.

Et ideo iurans (ait *Festus*) sibi malé precabatur si fefellisset, verbis illis solennibus: si sciens fallo, ita me Diespiter salua vrbe, arceque, bonis eiiciat, vt ego hunc lapidem (silicem enim lapidem manu tenens imprecabatur, quem postea quâ poterat vi proiiciebat) vt est apud *Plautum, Ciceronem, Liuium et alios passim.*

Gregorius Nazianzenus qui theologus κατ' ἐξοχὴν dictus, iuramentum (inquit) est fidei certificatio, quæ fit interposito Deo, eiusque præstatio ὁρκία dicitur.

Thomas Aquinas quæstionem ponit, Vtrum iurare, sit *Deum* testem inuocare? et post obiectiones (inquit) contra est quod *Augustinus* dicit in quodam sermone de periurio; Quid est iurare per *Deum*, nisi testis est *Deus*? Huc facit quòd *Augustinus* in verba Psalm. 109. scribit, *iurauit Dominus, et non pænitebit eum.* Cur (ait) non iurat *Dominus*, quando *Domini* iuramentum, promissionis est firmamentum: Iurat omnino, quid ergo tu facis cum iuras? testaris *Deum*, hoc est iurare, *Deum* testari: et ideo molestum ne ad aliquam falsitatem, testem adhibeas *Deum*; si ergo tu iurando testaris *Deum*, cur ergo non et *Deus* iurando testetur seipsum. Idem in verba *Iacobi.* cap. 5. *Nolite iurare,* monet ne illis credamus, qui dicunt nos non iurare, cum *Deum* testem inuocamus: non (inquit) vos fallant, qui nescio quomodò volentes ipsas iurationes discernere, vel potius non intelligere, dicunt non esse iurationem quando dicit homo, scit Deus, testis est Deus, inuoco Deum super animam meam vera me dicere, inuocauit *Paulus* Deum, testem fecit Deum, nunquid iurauit? Qui hæc dicunt, nihil aliud volunt, nisi inuocato *Deo* teste mentiri (attendite *Neoromanistæ* quantum hic locus facit contra amphibologica iuramenta) itane quisquis praui cordis, si dicas per *Deum* iuras, si dicas, testis est *Deus*, non iuras? quid est enim per Deũ nisi testis est *Deus*? Quid est testis est *Deus*, nisi per *Deũ*? quid est autem iurare, nisi ius reddere *Deo*, quando per *Deum* iuras. &c.

Idem sermone de Christi verbis. *Mat*, 5. tractat quæstionem, an iusiurandum sit licitum, et concludit his verbis, *iurat deus, qui peccatum non habet,* non ergo est peccatum iurare: sed maius peccatum est, peierare.

Si sub

AntiTorto-Bellarminus.

Si ſub Cardineo petaſo mica vlla pudoris,
  Bellarmine, pudor comprimat ora tibi;
Deſine blaſphemi *Iuliani* facta nefanda,
  Cum regis factis æquiparare pijs:
At diſce vt vites *Iuliani* facta maligna,
  Si ſapis exemplo, tu, Dominuſq tuus;
Ne factis ſimiles, pæna pereatis eadem,
  Qui caulæ Chriſti quæritis exitium;
Caulæ almæ Chriſti ceſſa turbare quietem,
  In regem ceſſa ſcribere falſa pium;
Pone ſcholæ technas, aulæ et ludibria Romæ,
  Et veri radijs pectora pande tua:
Quid falſum noſti, mens eſt tibi conſcia veri,
  Diuinæ et ſophiæ dogmata nota tibi;
Si credis ſcelerum pænas poſt fata rependi,
  Retribui aut factis præmia digna bonis,
Scribere ne pergas propriæ contraria menti,
  Teſte tuâ propriâ mente, perire caue.

Finis.

